

Postquam aliquamdiu ludulum petasi tollendi manibusque pulsandi luserunt, ludulus ille variatione carens principulo taedium afferre coepit.

»Et quid«, inquit, »mihi faciendum est, ut petasus de capite decadat?«

Sed vir gloriosus principulum non audivit. Immodicus sui admiratoris solum qui laudibus eum efferat audit.

»Mene re vera valde admiraris?« gloriosus principulum rogavit.

»Te admirari, quid hoc sibi vult?«

»Admirari significat hoc: Tu cognoscis me omnium bellissimum, elegantissimis vestibus indutum, locupletissimum, ingeniosissimum huius asteroidis hominem esse.«

»At nemo praeter te istum asteroidem incolit!«

»Tamen hoc gratum mihi fac: Admirare me!«

»Admiror te, si tibi commodo est«, principulus inquit, nihil certi respondens.

Quo dicto evolavit.

»Quae mira capita, isti adulti homines«, sibi dixit dum iter facit.



Caput duodecimum

Tertiam stellam potator incolebat. Ut principulus ibi non diu commoratus sit, tamen magna aegritudine animi affectus est:

»Quid hic agis?« e potatore quaesivit, quem taciturnum ante magnum numerum flasconum plenum vacuorumque sedentem videbat.

Tum ille vultu lugubri: »Poto.«

»Cur potas?« principulus rogavit.

»Poto, ut obliviscar«, potator respondit.

»Quarum rerum oblivisci conaris?« principulus, cuius misericordiam potator movebat, percontatus est.

Et ille oculos in terram deiciens: »Oblivisci me pudere conor«, confessus est.

»Cuius rei te pudet?« principulus, quem potatoris miserabat, e viro exquisivit.

»Vino deditus sum«, potator denique dixit et conticuit.

Principulus consilio auxilioque orbus evolavit.

»Quae mira capita, isti adulti homines«, in itinere secum cogitavit.

Caput tertium decimum

Quartam stellam negotiator incolebat. Qui vir adeo negotiis occupatus erat, ut, cum principulus appareret, ne oculos quidem tolleret.

»Salve!« principulus dixit. »Fumifistula tua exstincta est.«

»Tria et duo sunt quinque. Quinque et septem duodecim. Duodecim et tria quindecim. Quindecim et septem viginti duo. Viginti duo et sex duodetriginta. Tempus deest ad eam rursus incendendam. Viginti sex et quinque triginta unum. Bombax! Sunt ergo quingenties semel decies cente-



na milia et sescenti viginti duo milia et septingenti triginta unum.«

»Quarum rerum quingenties centena milia?»

»Quid? Semperne ades? Quingenties centena milia ... quarum rerum plane oblitus sum ... Tot negotiis implicitus sum! Homo gravis sum, qui tempus pretiosum ineptiis haud tero! Duo et quinque fiunt septem ...«

»Quingenties centena milia quarum rerum?» principulus iterum rogavit, qui numquam rogare desistebat, quae rogare coeperat.

Negotiator oculos sustulit et dixit:

»Ex quinquaginta quattuor annis hanc stellam incolo, qui ter tantum ab negotiis impeditus sum. Primum ante viginti duo annos a melolontha, quae nescio unde deciderat. Strepitu horrisono, quem edidit, exterritus quater in computando erravi. Iterum ante undecim annos cum doloribus articulorum temptatus sum. Corpus non satis exerceo, mihi non vacat ambulare. Vir gravis sum. Tertium ... eo ipso momento! Quingenties centena milia ...«

»Quarum centena milia rerum?»

Negotiator intellexit spem otii capiendi vanam esse:

»Centena milia earum minutarum rerum, quae nonnumquam in caelo conspiciuntur.«

»Muscarumne?»

»Minime vero! Parvarum rerum lucentium.«

»Apiumne?»

»Nullo pacto! Parvarum rerum aurearum, quae homines desidiosos ad somnandum inducunt. Ego autem vir gravis sum. Mihi non vacat somnare.«

»Stellasne significas?»

»Significo.«

»Et quid quaeso facis quingenties centenis milibus stellarum?»

»Sunt proprie quingenties semel decies centena milia et sescenti viginti duo milia et septingenti triginta unum! Vir gravis sum, diligens et attentus in rebus agendis.«

»Et quid facis his stellis?»

»Quid faciam rogas?»

»Rogo.«

»Nihil. Stellas possideo.«

»Possidesne stellas?»

»Ita. Possideo.«

»Regem quandam conveni, qui ...«

»Reges non possident. Regnant. Interest, utrum possides an regnas.«

»Quid prodest possessionem stellarum habere?»

»Qui stellarum in possessione est, locuples est.«

»Quid prodest locuples esse?»

»Qui locuples est, alias stellas, si reperit, emere potest.«

»Iste«, principulus secum cogitavit, »more potatoris ratiocinari videtur.«

Tamen interrogare perrexit:

»Quomodo stellae possideri possunt?»

»Cui sunt?» negotiator stomachosus respondit.

»Ignoro. Nemini.«

»Igitur mihi sunt. Ego enim omnium primus fui, cui stellas possidere in mentem venerit.«

»Tantulane res?»

»Ita. Si adamantem invenis, cuius possessionem nemo habet, tuus est. Si insulam invenis, quam nemo possidet, tua est. Si quid primus excogitavisti, inventum tuum iure

tutum redditum tuum est. Ego stellas possideo, quia nemini ante me in mentem venit stellas possidere velle.»

»Quod verum est«, principulus inquit. »Quid autem eis facis?« rogavit, qui numquam, quae rogare coeperat, rogare desinebat.

»Stellas gero et procuro«, negotiator inquit, »iterum iterumque eas numero. Quod valde laboriosum est. Sed ego vir gravis sum, negotiorum gravium gerendorum peritissimus.«

Quo dicto principulus nondum contentus erat.

»Si focale possideo, mihi licet id collo circumligare et quoquoersus auferre. Si florem possideo, licet eum carpam et quoquoersus auferam. Tu autem stellas carpere nequis!«

»Hoc verum. In mensa nummularia autem deponere possum.«

»Quid hoc rei est?«

»Significat hoc: Numerum stellarum mearum litteris mando. Quo facto chartulam in loculo depono, quem clavi obsero.«

»Quid amplius?«

»Nihil amplius!«

Principulus secum: »Festive dictum, ingenio poetico praeditum. Grave autem mihi non videtur.«

Quod ad res graves attinet, principulus omnino dissentiebat ab adultis hominibus.

»Ego«, inquit, »florem possideo, quem cottidie irriigo. Tres montes ignivomos possideo, quos singulis hebdomadibus purgo. Purgo et illum, qui extinctus est. De montibus ignivomis enim dubitandum. Prodest vulcanis et flori a me possideri. Tu contra minime ex usu stellarum es ...«

Negotiator os aperuit, sed cum nesciret quod responderet, principulus aufugit.

»Adulti homines re vera miri et insoliti sunt«, principulus secum dixit in itinere.

Caput quartum decimum

Quinta stella valde insolita omniumque minima erat. Praeter lucernam lucernaeque curatorem nihil capiebat. Principulus minime intellegere poterat quid in regione vasti caeli et in stella inculca lucerna lucernaeque curator usui essent. Tamen secum cogitavit:

»Fieri potest, ut et ille mente utcumque captus esset. At tamen puto eum minus insanire quam rex et gloriosus et negotiator et potator. Opus, quo fungitur, saltem utile esse videtur. Qui lucernam accendit, novam stellam vel florem quasi gignit. Qui lucernam exstinguit, efficit, ut flos stellaque obdormiscant. Hoc negotium valde iucundum est. Vere utile quia iucundum est.«

Postquam pedem in stella intulit, principulus lucernae curatorem his verbis verecunde salutavit:

»Salve. Curnam lucernam modo exstinxisti?«

»Iussus sum«, lucifex respondit. »Salve.«

»Quid iussus es?«

»Ut lucernam exstinguam. Vale.«

Lucernam rursus accendit.

»Cur autem eam modo accendisti?«

»Ita iussus sum«, lucifex respondit.

»Minime intellego«, principulus ait.

»Res non postulat, ut intellegas«, inquit. »Sic iussa sunt ut sunt. Salve!«

Quo dicto lucernam exstinxit.

Deinde sudorem frontis mucinnio scutulato rubro detersit.

»Munus, quo fungor, terribile est. Olim utile et ratione praeditum erat. Lucernam exstinguebam mane, accende-



Munus, quo fungor, horribile est.

bam vesperi. Reliquo tempore diei reviviscebam, nocte dormiebam ...»

»Et ex eo tempore praescriptum umquam mutatum est?«

»Praescriptum non mutatum est«, lucifex inquit. »Inde omne hoc malum! Stella in singulos annos celerius celeriusque circumvolvebatur. Praescriptum mutatum non est!«

»Quid igitur?«, principulus inquit.

»Cum semel nunc in sexagesima parte horae circumagatur, mihi ne quidem momentum temporis est ad respirandum et relaxandum. In sexagesima parte horae lucernam semel accendo, semel exstinguo!«

»Quod narras ridiculum est! Dies apud te unius horae momenti finibus continentur!«

»Quod narro minime ridiculum est«, curator inquit.

»Iam unum mensem enim colloquimur.«

»Unumne mensem?«

»Ita. Triginta temporis minuta. Triginta dies! Vale!«

His verbis lucernam rursus accendit.

Principulus lucificem lucernam accendentem spectabat. Amabat enim hunc virum, qui officium suum tanta pietate exsequeretur. Cum recordaretur, quomodo olim sellam movens ad libitum solis occasus spectare potuisset, lucifici subvenire volebat.

»Scio, quomodo animum relaxare possis, si velis.«

»Semper volo«, lucifex inquit.

Nam studium muneris tuendi et otio frui inter se non repugnant.

Principulus loqui perrexit:

»Stella tua tam parva est, ut tribus saltibus eam circumire possis. Si satis lente progredieris, semper sole gaude-

bis. Si quietem capere vis, ambula ... ita fiet lux quamdiu voles.«

»Hoc haud multum mihi prodest«, lucifex inquit. »Nihil in vita tam me iuvat quam somnus.«

»Incommodum capis«, principulus inquit.

»Incommodum capio«, lucifex inquit. »Vale!«

Lucernam exstinxit.

»Hic«, principulus profecturus secum dixit, »hic ab omnibus contemnabitur et illudebitur: a rege, a glorioso, a potatore, a negotiatore. Hic autem mea sententia unicus non illudendus est. Forsan quod aliorum res neque suas curet.«

Principulus sorte lucificis commotus suspiravit secumque denuo dixit:

»Hic vir unicus est, qui amicus meus fieri potuisset. Cuius autem stella pusilla haud locum mihi relinquit ...«

Quod principulus secum infitiabatur: Desiderio huius stellae fortunatae imprimis angebatur, quod ibi viginti quattuor horarum spatio milies quadringenties quadragies solis occasus spectari possunt.